

gere necesse sit. idque ipsum interim etiam **P b** librorum scriptura plenius recepta ut iam supra monui patefactum est. neque igitur paenitet me iudicii quod olim feci de recentioribus aliquot qui ad prius epistularum volumen vel ad aliquam eius partem pertinent, velut de Vaticano reginae 1544 (⊙ Fickerti), de Wirceburgensi theol. 916, de Erlangensi 354, de Amploniano Erfurtensi 3. item alios nimio, ut mihi quidem videtur, honore dignati sunt docti, velut librum in Montium Hannoniae bibliotheca adservatum, quem illustravit et duodecimo saeculo adsignavit Paulus Thomas in nuntiis academiae regiae Belgicae ser. III t. XXX n. 7 p. 157 ss. et t. XXXV n. 3 p. 304 ss., sed ut scripturas aliunde non notas easdemque utiles proferret admodum paucas. non magis video quid vere lucro apponi possit ex duobus Fickerto olim ignotis libris Bruxellensibus, quorum alter signatus II 1075 (cf. Thomas catal. 344) saeculo tertio decimo tribuitur, quarto decimo alter II 971 (Thomas l. c. 325). quantum enim ex aliquot epistularum specimine iudicare licet, quas mea gratia olim inspexit Buecheler, ad emendandum nihil conferunt. mitto alios.

Etiam de libris nonnullis, qui alterum epistularum volumen offerunt vel duo rursus in unum coniuncta, cum Rossbachio mihi non ubique convenit. utcumque autem loci illi, de quibus cum viro docto controversiam habui in proecdosi quosque nunc explicatius retractare non libet, ad integritatem revocandi sunt, recte ille commonuit etiam recentiorum librorum accuratiore nobis notitia opus esse quam quae Fickerti aperiatur apparatu. immo et augeri hunc necesse esse et corrigi, ut etiam deteriorum librorum indoles patescat clarius nec diutius in obscuro maneat quid inter singulos discriminis sit. ut igitur in commentatione bonae frugis plena, quam ille de Senecae librorum recensione et emendatione scripsit, multum operae impendit etiam huius generis libris exquirendis describendis examinandis, ita interim duodecimi saeculi codicem Harleianum 2659, quo non alterutrum, ut plerisque, sed utrumque epistularum volumen continetur, e tenebris in lucem vocavit, cum proecdosis meae